

condis, ex L. Cornelia de Siciariis, ex L. Pompeja de Periculis, ex L. Cornelia de falsis, ex L. Julia de vi publica, & privata, ex L. Julia peculiatum, ex L. Flavia de plagiaris, de anno, ut videre est in Pandectis lib. 48. per tot. & in Codice lib. 9. Quibus hodie accedit furtum, simonia, haereticis, imo fere omnia delicta, praesertim de Jure Can. facta sunt publica, ut vindicta publica coerceri possint. Dicuntur etiam publica, quia episcopi ex populo executione eorum, hoc est accusatio plerumque datur. §. 1. h. t. Sunt autem publica judicia duplicia; Capitalia, quae ultimo supplicio efficiunt homines, vel aene, & ignis interdictio, vel deportatione, vel metallo, §. 2. h. t. Ex quo videtur notari, quod poena capitalis a Jure lata non semper significat mortem; sed quantum ad mittere poenam; ut deportationem &c. Non capitalia, quae infamiam irrogant cum damno pecuniario fisco applicando; vel quae poenam corporalem mittere insistant. De his delictis, quantum necesse est ad notitiam Canonistae, ago in lib. 5. Decretal.

Restant adhuc aliae materiae civiles, ut ex Pandectis lib. 49. tit. 14. & seq. & lib. 50. & nonnullae aliae; sed quia Jura ista plerumque ab usu recesserunt, & ex ipso fonte facile hauriri possunt, consilio eorum tractationem hic praetermitto.

TITULUS ULTIMUS.

De Jure Publico.

Non est mei institui plene, & ex professo agere de Jure publico, quod reliquum Publicistis; sed quia Canonistae hinc inde aliqua asserere solent ex Jure publico, quaedam pro notitia terminorum tantum tangam.

§. I.

De Natura, Divisione, & Principiis Juris Publici.

1. Q. I. Quid sit Jus publicum, & quod ejus obiectum sit. R. ad 1. Jus publ. in communi est, quod ad statum alicujus Reipubl. spectat, ejusque utilitatem per se, & principaliter respicit. arg. §. fin. de Just. & Jur. de qua definitione vide dicta tit. fin. de Just. & Jur. num. 26.

2. R. ad 2. Obiectum materiale remotionis Juris publici est triplex: persona, res, & actiones; seu judicium. Personae sunt Magistratus politici, quibus Respubl. regitur. Res sunt partim corporales, quae dominio Reipubl. quae tales subiciuntur; partim incorporales, seu Jura ipsi Reipublicae, ejusque Magistratibus competentia, uti & obligationes illorum. Actiones, seu judicium sunt, in quibus de publicis negotiis, & causis Magistratuum, earumque delictis disceptatur, ac definitur. Nec obstat l. 1. §. 2. ff. de Just. & Jur. ubi Ulpian, dicit Jus publicum consistere in sacris Sacerdotibus, & Magistratibus, nam loquitur pro statu Reipubl. ethnice, in qua Reges, & Imperatores erant simul Pontifices Maximi, & ad eos directio sacrorum, & Sacerdotum pertinebat; at in Republica christiana, saltem catholica, directio sacrorum, & Sacerdotum est penes Pontifices Ecclesiae. cap. 10. de Constit. c. 2. 4. de Judic. &c. idque Constantinus, alique pii Imperatores, ac Principes christiani agnovissent: neque se sacris unquam intromiserunt, nisi implorati a Pontificibus, ut advocati Ecclesiae, & executores SS. Canonum.

3. Q. II. Quomodo sit Jus publicum? R. Juris publici tot possunt esse divisiones, quot sunt diversi populi: seu Respublicae arg. §. 2. de Jur. Nat. Gent. & Civ. nam quilibet Respubl. suo publico Jure regi potest. Omnis alius, huc pertinet Jus publicum Romanum, & hodie Romano-Germanicum, vel Germanico-Romanum, ut alii dicunt. Hoc partim est scriptum, ut mox videbitur, partim consuetudinarium; quia in Imperio Romano-Germanico multa per consuetudinem introducta, instar legis publicae observantur.

4. Q. III. Qua sint principia Juris publici? R. 1. Remota sunt Jus naturale, & Gentium, ex quibus cetera humana Jura, utpote inferiora, pemodum con-

clusionum ratione nientium derivantur; non quidem necessario, sed contingenter, licet Jure jam condito, sequatur necessitas parendi: quia iusto precepto Superioris parendum est ex precepto 4. Decalogi. Jus civile privatum, uti & Jus Canonium in materia de se profana disponens, in materia accommodata deserunt Juri publico: non multum vero curantur in iis, quae principaliter veniunt ex Jure publico decidenti.

5. R. 2. Principia Juris publici romani proxima sunt, quae traduntur in Volumine Justiniano, uti de Magistratibus in Pandectis lib. 1. tit. 9. & seq. in Codice lib. 1. tit. 26. & seq. & maxime tres ultimi libri Codicis, cum quibusdam Novellis; sed propter immutatam formam Reipublicae Romanae Jura ista ab usu recesserunt; & ideo nec in scholis traduntur.

6. R. 3. Principia Juris publici Romano-Germanici sunt 1. Aurea Bulla, a sigillo aureo ita dicta (sigilla enim barbare vocantur Bullae, quae instrumenta alicui assigni possunt auro, vel argenteo, vel plumbeo &c. aut forsitan per similitudinem denominatio ista trahitur ab aureis bullis, quas de collo pendentes portabant pueri praepetati, (Lex. Calv.) Quo ad rem Aurea Bulla est Constitutio, seu Sanctio Pragmatica auctoritate Caroli IV. Imp. cum consensu Statuum, & Ordinum Imperii lata de Imperatoris electione, & coronatione, Electorum juribus, aliisque ad regimen publicum spectantibus; & promulgata partim Norimbergae usque ad c. 23. partim Metis a c. 24. usque ad fin. ann. Christi 1356. Dicuntur hujus Bullae tria extare aethographa; unum Francofurti ad Moenum; alterum Moguntiae; & tertium Romae; alias Heidelbergae; licet in numero numerorum, & nonnullis aliis discrepent.

7. 2. Pax publica profana, seu Pragmatica sanctio adversus vim privatam, seu jus manuarum a Maximiliano I. an. 1495. in Comitibus Augustanis primum edita, & an. 1500. in Comitibus Augustanis confirmata, poena banni, seu praescriptionis imperialis violatoribus decreta.

8. 3. Pax religiosa sub Carolo V. Imp. primum Passaviae facta an. 1552. deinde firmata Augustae an. 1555. qua ad evitandas publicas perturbationes, Lutheranis, & Calvinianis permittitur esse liberum exercitium religionis.

9. 4. Pax sacrae Svecicae, a loco dicta VVestphalica, seu Onaburg-Monasteriensis, post acerbissimum inter Ferdinandum II. & Gustavum Adolphum Svecorum Regem habitum, & deinde continuatum: tandem sub Ferdinando III. & Christina Svecorum Regina Pax ista conclusa est an. 1648. 24. Octobr. qua pax religiosa partim confirmata, partim aucta est in favorem Aetholicorum, pluribus Digestibus secularizatis. Et quamvis aliqui ex catholicis defendant, Principes Orthodoxos in hac dirissima belli necessitate licite potuisse consentire in dictam pacem suis articulis munitam, eam tamen reprobat Innoc. X. Const. incip. Zelus Domus DEI.

10. 5. Capitulatio Caesarea, seu certi articuli, ab Imperio facti, quos Imperator electus ante coronationem acceptat, seque eos servaturum iurejurando spondet. Videntur Capitulationes cepisse sub Carolo V. cui tanquam potenti Principi Electores certos articulos praescripserunt, quibus ille assensit, ne forsitan a dignitate Imperiali excluderentur.

11. 6. Recessus Imperii, seu Decreta Comitialia ab Imperatore, & Statibus Imperii conclusa; & quia sub recessum a Comitibus finiri solent, barbare vocantur Recessus Imperii.

12. 7. Ordinationes Camerae, & Judicii Imperialis Aulici pro administranda iustitia in his supremis tribunalibus. Judicium Imperiale aulicum est Viennae; alias in eo loco, in quo residet Imperator. Camera Imperialis fuit Spira, deinde ob tumuluum bellicosum translata est VVeزاریum. His adduntur Concordata Germaniae, de quibus in Jure Can. lib. 3. tit. 5.

13. Q. IV. Qui legibus istis publicis obligentur? R. 1. Omnes Status Imperii, & alii immediate, vel mediate Imperio subiecti. R. I. an. 1654. §. 6. lex enim cum sit commune praecipuum, omnes subditos tangit. 2. Imperator legibus publicis obligatur non tantum directe, sicut alii Principes suis legibus, sed specialiter modo; non quidem vi jurisdictionis, cum in Imperio superiorem se non habeat; sed vi pacti publici, & ju-

juramenti, quo Capitulationes acceptat; ut proinde neque leges publicas abrogare, neque eas derogare possit sine consensu Statuum Imperii. Quia vero extrema necessitas non habet legem, multi DD. tenent in casu talis necessitatis, licet esse Imperatori a legibus publicis recedere; cum casus necessitatis etiam in Capitulationibus soleat excipi; quamvis id non liceat regulariter in casu utilitatis.

§. II.

De Forma, & Membris Imperii Romano-Germanici.

14. Recole 1. Imperium Romanum, postquam in summum elevatum est, ut toti fere orbis leges daret, mole sua cepisse paulatim deprimi, & amissis Africa, & Asia, ac potiori Europae parte, in eas venisse angustias, in quibus illud hodie inuenitur.

15. Recole 2. tempore, quo Irene Imperatrix in Oriente regnavit, ob gravissimas causas, temporumque necessitates, consensu Populi Romani, Clerique rogata, Imperium Romanum a Graecis per Francos, populos Germaniae in persona Caroli Magni, Pipini filii, quem dicitur Pontifex aureo diademate redimitum Occidentis Imperatorem, & Augustum salutavit. 8. Kal. Januarii an. 800. Quam translationem iustam, & legitimam fuisse (quidquid in contrarium nonnulli dicant) clare demonstrat Baron. Spondan. Bellam. & alii Scriptores catholici. In Imperio ita translato variae erant vicissitudines, & mutationes, quas usque ad nostra tempora Historici describunt.

16. Q. I. Quae sit forma Reipublicae Romano-Germanicae? R. Monarchia, nam 1. ex meliori sententia Imperium Rom. dicitur esse illa quarta Monarchia, cujus meminit Daniel c. 2. & 7. tum 2. quia illud est Regnum Monarchicum, cujus summa potestas, seu majestas residet in uno, tanquam Capite, & Principe totius regni arg. l. 1. ff. de Constit. Princ. sed summa potestas Imperii hodierni residet penes unum, scil. Imperatorem: tum quia illi totus populus Imperio subiectus obedientiam promittit; quod non fit in Aristocratia, vel Democratia; tum quia omnes Status Imperii legibus directe obligantur, & transgressores etiam hanc puniri possunt: tum quia omnes respectu Imperatoris crimen lese Majestatis committere valent; quae, & similia sunt manifesta indicia Imperii monarchici; ergo. Interim negari nequit summam illam potestatem pro communi utilitate Imperii in quibusdam articulis arctatam esse, ut in actu imperandi exercitium prodire nequeat, nisi cum certa solemnitate, verbi gratia, cum consensu Electorum, vel omnium Statuum; pro ut cavetur in Instr. Pac. Onabr. & Capitulationibus. Ex quo nonnulli bene inferunt Imperio Romano Germanico aliquid admixtum esse de Aristocratia. Neque hoc destruit, sed perficit formam monarchicam, cum juxta Platonem lib. 4. de LL. interius pariter illi civitati, in qua non lex Magistratibus, sed Magistratus legibus dominantur. Sic etiam in antiquis Monarchiis Reges multa non poterunt facere sine consilio, & consensu populi, prout legitur de Dario Daniel. 6. vers. 8. & 15. Dicit: Imperator Rom. non videtur aliter se habere, quam Dux Reipublicae Venetae: quia utriusque potestas limitatur. R. Neg. ant. nam Dux Venetus habet regulam negativam, quod solus nihil possit, nisi quod ei expresse concessum est a Reipubl. e contra Imperator habet regulam affirmativam, quod solus possit omnia; nisi aliquid exceptum sit. Illa, & non ista regula est unum ex signis Aristocratiae.

17. Q. II. Ex quibus membris consistat Imperium Romano-Germanicum? R. ex seq. 1. Caput illius principale est Imperator. 2. Capita Vicaria sunt Rex Romanorum, & duo Vicarii Imperii Jure publico introducti. 3. Praecipua membra sunt Status Imperii: quorum tres sunt Ordines, scil. Electorum, Principum generalium acceptorum; prout hoc nomine veniunt etiam Comes, & Barones; & Civitatum liberarum Imperialium. 4. Minus praecipua membra sunt Nobiles immediate Imperio subiecti. 5. Membra inferiora sunt reliquus populus mediate Imperio subiectus; qui com-

P. Remigii & S. Erasmo. Pars I.

munitur Landafforum nomine exprimitur, & immediate alicui Domino territoriali subiectur; uti in Austria, Saxonia &c. Ex his solus Imperator est tantum imperans, non vero subditus; cum superiorem jurisdictionem non habeat: ceteri omnes respectu Imperii, & Imperatoris sunt subditi: at Status Imperii respectu sui territorii sunt imperantes, uti & nobiles immediate Imperio subiecti; cum in suo territorio Superiorem non recognoscant; tantumque in eo possint, quantum Imperator in toto Imperio, ex vulgata regula, sane tamen intellecta. De his singillatim aliqua dicenda erunt.

§. III.

De Imperatore.

18. Imperator est princeps, seu caput totius Imperii, qui ad hanc dignitatem, non via successione hereditaria, sed libera electionis evehitur.

19. Q. I. Quae requirantur qualitates in eligendo Imperatore? R. 1. Ut sit Mas: nam ex antiqua lege Francorum, seu Germanorum, quae dicitur Salica a Sala fluvio, feminae excluduntur a publicis regni gubernaculis, ut infirmat Vitriar. Gold. & alii. 2. Ut sit Germanus, seu ex Germano sanguine procedens, licet extra Germaniam natus sit, uti Fridericus II. in Sicilia, & Carolus V. in Hispania: idque partim ex Constit. Ottonis I. aut III. partim ex antiqua consuetudine introductum fuit. 3. Ut sit e legitimo thoro genitus. 4. Ut oriatur ex illustri familia, qualis non solum Principum, sed etiam Comitum, & Baronum familia reputatur. 5. Ut sit laicus, cum temporale caput, & Religiosis christiana, seu Romano catholice; cum jurare debeat quod Apostolicam Sedem, & Romanam Ecclesiam defendere velit. Circa aetatem non reperitur determinatio.

20. Q. II. A quibus, & qua forma eligendus sit Imperator? R. ad 1. a solis Electoribus; quorum tres sunt Ecclesiastici, scil. Archi-Episcopus Moguntinus, Colonienfis, & Trevirensis; ita tamen ut Sede vacante Capitulum non succedat in jure hoc eligendi; cum annexum sit ipsi Dignitati Archi-Episcopali. Laici Electores ex Aurea Bulla sunt quatuor; sed ex Pace VVeftphalica quinque; Rex Bohemiae, Dux Bavariae, Dux Saxoniae, Marchio Brandeburgensis, & Comes, seu Princeps Palatinus, quibus nostris temporibus an. 1692. cum effectu an. 1708. additus est Imperator, seu Dux Brunsvicensis ex linea Luneburgensis Hanoverana; atque ita hodie sunt novem Electores.

21. R. ad 2. Forma eligendi Imperatoris consistit in seq. 1. Moguntinus, seu Decanus Collegii Electoralis intra mensem a die vacantiae cognitur, singillatim omnes Electores per litteras patentes majori sigillo munitas convocat, ut intra trimestre Francofurti, (nisi causa gravis exigeret tempus istud prorogari, vel restringi, aut alium locum determinari) conveniant ad futuram electionem; puta vel personaliter per se, vel per suos Plenipotentiarios, vel per commissionem voti ab uno ex Coelectoribus dandi nomine absentis. Si quis contempus sit, seu non-vocatus, electio quidem a majori parte facta probabilis non est ipso Jure irrita: contempus tamen Elector persequi potest injuriam sibi factam a Moguntino. Si quis vero legitime vocatus non venerit, pro hac vice privatur suffragio; & si tarde veniat, in eo Statu admitti debet, in quo est electio adventus sui tempore. 2. Electores 200. equitibus stipati, non nisi cum 50. annatis singuli Francofurtum admittuntur, ubi praestituto die in curia comparentes, excepto a Francofurtensibus juramento de securitate sibi praestanda, vestitu electorali induti, & equis indidentes solido ordine ad Ecclesiam Metropolitanae procedunt. 3. His in choro constitutis cantatur hymnus Peni Creator Spiritus, tum Moguntinus jurat in manibus Trevirensis; & ab isto, uti & ceteris Electoribus juramentum excipit: hique ceremoniis praemissis soli Electores intrant conclave electionis, quique sua subsellia occupant. 4. Moguntinus rogat vota, primum a Trevirensi, deinde a Colonienfi, Rege Bohemiae, Duce Bavariae, ceterisque Electoribus: qui tandem omnes ex Moguntino suum querunt votum; ique censetur Electus, pro quo omnes, E 4 vel

vel major pars Collegii Electoralis fiat. Et quamvis aliqui velint sufficere majorem partem respective, seu respectu minorum partium; probabilis tamen est requiri majorem partem absolute ex toto Collegio Electorali; ut 5. ex novem. Id speciale est, quod Electorem non tantum quatuor consentientibus accedere, & electionem sui complere, sed etiam directe sibi votum dare possit, sicut teste Dubrav. lib. 22. *Hist. Boem. Sigismundus Rex Bohemie se ipsum nominavit: Me, inquit ego novi, alios non invidem, an aequum mecum Imperio Orbis digni sint.* Si Electores intra 30. dies non conveniant, pars, & aqua sunt nutriendi, 5. Perfecta electio a Moguntino in conclavi promulgatur per notarios, testibus adhibitis in instrumentum redigitur, Electorum sigillis munitur, & solitis solemnitatibus populo proclamatur. Haec, & cetera huc pertinentia reperiunt in Aurga Bulla cap. 1. & segg. 6. Electus, si praesens est, ad servendam capitulationem juramento se obstringit, & Electoribus, ceterisque Statibus: mox, vel deinde ex intervallo temporis privilegia confirmat.

Q. III. *Qua forma fiat Coronatio Imperatoris?* R. 1. Prima coronatio, & inunctio fit Aquisgrani: nisi ex justa causa alia Imperii civitas huic actu determinetur; & primo Imperator jurat, quod *fidem catholicam operibus suis servare, Ecclesiarum ius, & defensor existere, regnum efficaciter secundum iustitiam defendere, iura regni dispersa congregare, viduarum, miserabiliumque personarum defensor, & Judex esse, Romano Pontifici debitam subjectionem exhibere velit.* 2. Traduntur Imperatori insignia imperialia Norimbergae assertiva solita, scilicet corona Imperialis clausa cum cruce superposita, gladius, anulus, sceptrum, pomum cum cruce superimposita, amictus, & pallium regale. 3. Lis de actu coronandi, transactio finita est; atque ita si coronatio celebraretur in territorio Coloniaensi, Imperatorem coronat Archi-Episcopus Coloniaensis, si in Moguntino, Moguntinus, si extra utriusque territorium, datur alternativa. 4. Praeter coronationem aquisgranensem dantur alia duo: *Lombardica* Mediolani, & *Romana* Romae; quae saepius jam omittuntur, propter graves causas; quamvis Imperator in capitulationibus jurare cogatur, quod, quam primum fieri poterit, coronam romanam accipere velit. Omnes tres istae coronae sunt aureae; licet vulgus dicat romanam esse auream, lombardicam argenteam, & germanicam ferream. De Coronatione vide Auream Bullam c. 27. & 28.

Q. IV. *Qua sint Jura Imperatoris?* R. 1. Jura majestatica, & reservata soli Imperatori competentia, sunt praecipua 1. Jus praecedentiae inter omnes Principes christianos; & ideo Legati Caesaris, etiam apud Turcam omnium Regum Legatis praefertuntur. 2. Jus gerendi in insigni aequilam bicipitem, vel ad significandum regnum Romanum, & Germanicum; vel potius ad significandam divisionem Imperii inter Graecos, & Romanos. 3. Jus creandi Reges, & alias dignitates, & nobilitates conferendi; quae tamen potestas limitari solet in capitulationibus; ne quid fiat in praedictum antiquarum familiarum. 4. Jus conferendi investiturae feudorum regalium: at si tale feudum apertum sit, nullo existente legitimo successore, sine consensu Electorum alteri de novo conferri nequit, sed reservari debet pro necessitatibus Imperii. 5. Jus cognoscendi, & iudicandi in causis Principatum, Ducatum, Comitatum &c. in quo iudicio probabilis non sunt adhibendi *Pares Curiae*, seu Principes Imperii, nisi de feudo regali agatur criminaliter, & Status declarandus fit in penam hanni: tunc enim consensus saltem Electorum requiritur; ut communiter cavetur in capitulationibus. 6. Jus instituendi suprema tribunalia; uti est Consilium Imperiale Aulicum, & Camera Imperialis, cui consuevit, & ordinandae etiam Statuum consensus esse necessarium nonnulli asserunt. 7. Jus belli defensivi in casu necessitatis. 8. Jus mittendi proprios Legatos, & externos recipiendi; licet super re, seu materia Legationis Imperium concernente, consensus Statuum requirendus sit. 9. Jus legitimandi filios naturales, & spurios Principum, Comitum, & Baronum, famam restituendi, etatis veniam concedendi, respectiva moratoria largiendi, academias erigendi, jus civitatis, vel nundinarum, emporii, stabulae, geranii, & huiusmodi tribuendi, in legibus dispensandi, &

privilegia conferendi; modo id fiat sine aliorum praedictorum, & iuxta limitationes in capitulationibus expressas.

24. R. 2. Jura Imperatori conjunctim cum Electoribus communia sunt: 1. Jus indicendi comitia imperialia. 2. Jus deliberandi, & statuendi de negotiis Imperii pro casu necessitatis, dum res motam non patitur. 3. Jus concedendi privilegia v.g. censualia monetae, stapulae, novorum vestigialium, vel immunitatis a vestigialibus &c.

25. R. 3. Jura Imperatori, & Statibus conjunctim communia sunt: 1. Jus ferendi leges universales, easque interpretandi. 2. Jus decernendi bellum, vel concedendi repessalias, quae sunt species belli, concludendi pacem, foedera, & similia negotia. 3. Jus indicendi tributa, & collectas extraordinarias per capitulationem, vel per modum expeditionis romanae; sicut olim quilibet vassallus Imperatori Romam cuncti, seu transfalpancti certum quantum solvere debebat &c.

26. Q. V. *Quibus modis inducatur vacatio throni Imperialis?* R. tribus: morte Imperatoris, resignatione ex iustis causis, & depositione ob gravia, & Reipublicae perniciosa delicta, notoriamque incorrigibilitatem. Modus iste rarior est, quia pericula, & gravia damna secum trahit; nisi aliter afflicto Imperio succurri nequeat.

27. Q. VI. *Qua sint Jura Augusti?* R. 1. Coronatur Aquisgrani, & augustali amictu vestitur Regem, & Imperatorem immediate sequitur, 2. Cancellarium habet Abbatem Fuldensis, & Archi-Capellanum Abbatem S. Maximi apud Treveros. 3. Quamvis Augusta subdita sit legibus; Augustus tamen ei sua privilegia communicat, quorum capax est. l. 31. ff. de LL.

§. IV.

De Rege Romanorum, & Vicariis Imperii.

28. Q. I. *Quid sit Rex Romanorum, & qua ejus potestas?* R. ad 1. est Princeps Imperii, qui vivo Imperatore, volente, vel invito, eligitur ab Electoribus, ut sit perpetuus Imperii Vicarius cum jure succedendi in Imperio absque ulla alia electione. Ad evitanda interregna, & perturbationes Reipublicae, utile iudicatur eligere Regem Romanorum. 29. R. ad 2. Rex Rom. seu Caput Vicarium Imperii, absente Imperatore, vel impedito, fere omnia jura Imperatoria exercet potestate delegata, ut quidam volunt: sed probabilis potestas illius est ordinaria quidem, utpote ex Jure publico descendens, sed limitata, & dependens, fere eo modo, quo coadjutor perpetuus Episcopi, vel ejus Vicarius generalis ordinaria pollet potestate, sed limitata.

30. Q. II. *Quid sint Vicarii Imperii, & qua illorum potestas?* R. ad 1. sunt Principes lege publica constituti ad hoc, ut vacans Imperium administrarent, ejusque regimen in manus Electi Imperatoris resignent. Tales sunt duo: Princeps, seu Comes Palatinus ad Rhenum (quod tamen ejus controversum ei facit Dux Bavariae) cujus administrationi subsunt ditiones, quae olim Franco jure utebantur; ut Suevia, Franconia, Ripa Danubii usque ad limites Hungariae, Tyrolis, Carinthia, Bavaria, Austria &c. Alter est Dux Saxoniae, cujus administrationi subsunt ditiones, quae superior Saxonia, Marchionatus Brandenburgensis, Ducatus Brunsvicensis, Thuringia &c. licet pro varietate temporum non raro Jura ista varientur.

31. R. ad 2. Potestas Vicariorum Imperii est ordinaria, utpote ex lege descendens, sed multum limitata; quia Vicarii Imperii probabilis illa tantum possunt, quae sunt eis expresse concessa, cum Carolus IV. signate hanc potestatem determinet in Aurea Bulla c. 5. ut proinde non possint ea omnia, quae Imperator, Pertinet autem ad eorum potestatem: 1. Jus exercendi judicia; & ne alter alteri praedictum videatur, acta Camera Imperialis utriusque Vicarii nomine, & sigillo expediuntur. De feudis autem regalibus non iudicant, quia non minus iudicium, quam collatio eorum reservata est Imperatori, 2. Vicarii habent jus investendi in feudis minoribus, seu nonregalibus, & juramenta fidelitatis nomine Imperii excipiendi. 3. Jus colligendi

gendi redditus imperiales, non tamen sibi applicandi; & multo minus aliquid de rebus Imperii alienandi &c.

§. V.

De Statibus Imperii.

32. Q. I. *Quid sit Status Imperii?* R. est Civis Reipublicae Romano-Germanicae jus sessionis, & voti in Comitibus Imperialibus habens: nam cum Status Imperii sint comperantes, substantialiter in eis requiritur jus voti decisivi. arg. 1. *Politicor.* 1. ubi Aristoteles in Cive Democratico requirit, jus suffragii. Praeterea regulariter ad Statum Imperii requiritur, ut sit immediate Imperio subiectus, atque territorium suum immediate ab Imperio recognoscat, Circulo alicui, & Matriculae legitime inscriptus, censum in illa determinatum pendat. Est autem Matricula liber publica auctoritate confectus, in quo omnium Statuum nomina describuntur cum expressione tributi, quod quisque Statuum ad communes usus pendere tenetur. Inter plures Matriculas, quae circumferuntur melior, & quasi authentica censetur Matricula Wormatiensis facta an. 1521. ut insinuat in Receptis Imperii an. 1576. §. 99. cuius textum refert Beckerus in Jur. Publ. ad fin. Status isti dividuntur in tres ordines, seu in tria Collegia, scilicet Electorum, Principum, & Civitatum Imperialium.

33. Q. II. *Quid sint Electores, & qua illorum jura?* R. ad 1. sunt Principes Imperii publica lege constituti, ut vacante Imperio, Imperatorem, vel necessitate postulante Regem Romanorum eligant: nam ad evitandas confusiones ex promissa confusione, sequi solitas, potestas eligendi Imperatorem translata est in paucos, qui Electores vocantur; idque sub Innoc. IV. in Concil. Lugdun. an. 1244. plenius firmatum fuit.

34. R. ad 2. Praecipua Electorum Jura sunt; 1. Omnes Electores habent Archi-Officium: *Moguntinus* est Archi-Cancellarius per Germaniam, & Decanus Collegii Electoralis. *Treverensis* est Archi-Cancellarius per Galliam, & Regnum Arclatense. *Coloniensis* Archi-Cancellarius per Italiam. Sed hi duo posteriores Archi-Cancellarius hodie quo ad exercitium quiescunt. *Rex Bohemiae* est Archi-Pincerna; & si ministrat potest, non tamen tenetur coronam regalem gestare. *Dux Bavariae* est Archi-Dapifer, *Saxo* Archi-Marchallus, *Brandeburgus* Archi-Camerarius, *Palatinus* Archi-Thesaurarius, *Luneburgicus*, seu *Hanoveranus* Archi-Vexillifer. Quae omnes in his Archi-Officiis suos subalternos habent. 2. Electores semper, & ubique unum singulare corpus, seu collegium faciunt ad negotia expedienda. 3. Singuli in Camera habent jus praesentandi duos Assessores; cum alias integri Circuli totidem praesentare possint. 4. Pro investituris, & confirmationibus suorum privilegiorum nihil in aula solvunt. 5. Habent jus ultimae sententiae; ita ut a sententia eorum appellari, imo nec subditi illorum ad extraneum tribunal trahi possint. 6. Regibus aequiparantur. soli cum Imperatore praesent, vel cenant in publico in sua quisque mensa &c. De peculiaribus cujusque juribus nullus mihi hic fermo.

35. Q. III. *Qui continentur in secundo ordine Statuum Imperii?* R. Omnes alii Status, praeter civitates: & in hoc genere omnes sunt sibi pares; cum omnes principali gaudeant jure, licet in alio genere alii aliis praecellant. Huiusmodi sunt: 1. Principes Ecclesiastici, ut Archi-Episcopi Magdeburgensis, Salisburgensis, Bremenensis, & Velenitinus: ex quibus praeter Salisburgensem, ceteri sunt saeculares; Episcopi Germaniae; Abbates nonnulli; ut Fuldensis, Murbacensis, Campidonensis, Corbojenis, Prumienis, Stabulensis, Ratisbonensis ad S. Emerannum, Hirschfeldensis est secularizatus: Praepositi Elwacensis; & Berchtoldsdensis; & Abbatif, ut Quedlimburgensis, Buchaviensis, Essensis, Herwardensis &c. 2. Inter Status saeculares sunt: Archi-Dux Austriae, Duces Brunsvicenses, Bremenenses, & Verdonenses, Melckemburgenses, Holfati, Leuemburgici &c. Principes in specie, qui de Principatu investiti sunt; ut Anhaltini, Principes Rugiae, Furstembergici: & qui ad Principatum evecti sunt sub Ferdinando II. & III. pata Hohenzollernensis, Salmenensis, Lobkowitzensis, Eggemburgensis, Dietrichsteinensis (cujus familiam erga nostram Scholarum Piarum Reli-

gionem foundationibus, & beneficiis munificentissimus, Deus quam diutissime conservet) Nassovius in Hadamar, & Dillemburg, Auerbergensis, & Piccolominus; de quibus fit mentio in Receptis Imperii 1654. §. 197. Item Landgravi Thuringiae, Hassia, Alsatia &c. Marckgravi, Marchionnes; ut Misnenfis, Batenfis &c., ceterique omnes Comites, & Barones, qui sunt Status Imperii. Hoc tamen nota, quod Principes, Comites, & Barones ab Imperatoribus creati, qui sessionem, & votum in Comitibus Imperialibus non habent, nullatenus referendi sunt inter Status Imperii. Insuper nota, quod Officia, quae olim erant temporaria; ut Ducis, Landgravi, Marckgravi, Burggravi, Comitibus, tandem in Imperio collata sunt in feudum perpetuum cum jure primogeniturae, & successione, ut hodie videre est.

36. Q. IV. *Qui sint in tertio, seu ultimo ordine Statuum?* R. Civitates Imperiales, prout sunt quoddam corpus, seu universitas; ita ut in particulari nullus civis, neque Consul sit Status Imperii; bene vero totum corpus civitatis, vel persona facta hanc dignitatem sustineat. Porro licet civitates imperiales simpliciter, quae ab Imperatoribus erant conditae, quo ad aliqua privilegia differant a civitatibus liberis Imperii, quae olim alicui domino parebant, sed libertatem adeptae sunt; differentia tamen illa in ratione Status non attenditur; cum omnes civitates Imperii eodem jure Status gaudeant; ut Francofurtum, Norimberga, Augusta &c.

37. Q. V. *Qua sint jura omnibus Statibus communia?* R. Jus praecipuum est Superioritatis territorialis, vi cuius ex reg. vulgata, Status tantum possunt in suo territorio, quantum Imperator in toto Imperio, exceptis summae Majestati reservatis, vel lege prohibitis; atque ita superioritas ista est potestas regalis Statibus communicata exercendi quilibet, nisi lege prohibeatur. Alii potestatem istam vocant *Jurisdictionem aliam, absolutam, independentem*; alii *Imperium, vel dominium universale*: alii eam exprimitur nomine *regalium majorum, & minorum*. Hoc tamen certum est, quod potestas ista modo altiori subordinata sit potestati monarchicae; cum omnes Status Imperatorem, seu Principem jurisdictionem superiorem recognoscant.

38. R. 2. Status vi superioritatis territorialis habet: 1. Jurisdictionem universalem in omnes personas, & res sui territorii; nisi quis probet exemptionem: & ideo potest *leges condere provinciales, & municipales*, etiam contrarias Juri Justiniano; non tamen contrarias Juri publico principaliter circa Imperium disponenti: judicia civilia, & criminalia per se, vel suos Magistratus exercere, & ab his causas avocare, dietas provinciales indicere, tabelliones, seu notarios publicos constituere, famam Jure suo, vel Justiniano amissam restituere, legitime naturales, vel spurios; non tamen Principum, Comitum, aut Baronum filios; poenas ex jure agratiandi relaxare &c. 2. Vi ejusdem superioritatis Status habet jus domini universalis: & quidem bona domanalia, seu dominicalia possidet jure feudi, bona patrimonialia Jure domini, & proprietatis, & bona subditorum jure domini alii pro casta publicae necessitatis. Unde etiam habet jus foresti, seu silvarum, jus venandi majores, & minores feras; jus piscandi, aedificandi, navigandi in flumine publico, jus eudendi monetam, tributa justa, collectas, & pretium emigrationis (quod jus detractionis vocant) excipiendi, & omnia alia agendi, quae summus Princeps agere potest; nisi quid specialiter excipiatur.

39. R. 3. Hac eadem superioritate territoriali gaudent civitates imperiales; cum sint veri Status Imperii: item multi Nobiles immediati, qui licet Status non sint, tamen ex variis privilegiis nulli subsunt domino territoriali, sed immediate Imperatori, & Imperio; uti est Nobilitas Franconica, Suevica, Rhenana, Alsatia; quae extinctis Ducibus in libertatem se exherunt, & immediatam respectu Imperii subjectionem acquirerunt. At ceteri Nobiles mediante imperio subiecti, qui domino territoriali immediate parent; uti plerique Nobiles in utraque Bavaria, Austria, Saxonia, non gaudent superioritate territoriali, nec ejus jure; & multo minus alii cives ignobiles, vel Palburgeri, seu instar pali additi, quorum civitas prohibetur.

De Comitibus, & Judiciis Imperii.

40. Q. I. Quid Juris circa Comitibus Imperialia? R. 1. Comitibus generalia indicuntur ab Imperatore cum consensu Electorum pro imperii necessitate, vel utilitate. 2. Vocantur omnes Status, non edicto generali, ut olim, sed intimatione speciali per litteras cuique missas, ut per se, vel per Legatos suos pleno mandato instructos, seu per Plenipotentiarios suos compareant. 3. Sedent in tribus ordinibus, seu collegiis: in primo Electores, in secundo Principes Ecclesiastici, & Politici cum Comitibus, & Baronibus; in tertio Plenipotentiarii Civitatum. Cum Ecclesiastici speciale scannum habeant, & in eo admittere noluerint A Catholicos nomine Ecclesiarum comparentes, factum est inter Ecclesiasticos, & Seculares tertium scannum transferunt pro ipsis *Querbanck*, cujus hodie vix ullus est usus; siquidem Episcopatus plerique sunt secularizati, Sede vacante Plenipotentiarius Capituli admittitur. 4. Hi Status omnes auctoritative interfunt Comitibus cum voto decisivo: & quidem vota colliguntur primo in Senatu Electorum; qui deinde mentem suam aperunt Principibus; & si hi cum illis concordent, bene est; si vero discordent, vocantur civitates; & iste accedunt vel Electoribus, vel Principibus, vel ab utriusque discedunt.

41. R. 2. Præter Comitibus generalia solent quandoque celebrari specialia; uti est conventus solorum Electorum, conventus *Deputatorum*, ad quos, præsentibus Cæsareis Commissariis, certi Ordines, seu Status vocantur v. g. pro sedandis tumultibus, seu Status alia necessitate. Item fieri solent conventus Visitatorum Camerae, circulares in certo circulo Imperii, & conventus civitatum.

42. Q. II. Quae sint suprema judicia, seu Tribunalia Imperii? R. 1. *Judicium Camerale* antea Spira, nunc *Wetzlar* auctoritate Imperatoris cum Status consensu institutum, in quo Judex cum Assessoribus suis ab Imperatore, & Status constituitur causas totius Imperii judicat, & definit. Ad hoc tribunal non spectant causae criminales, feudales, matrimoniales, & aliae spirituales; neque causae appellationum in minori quantitate, quam sint 400. imperiales. Cum hoc tribunal sit supremum, non datur ab illo appellatio; bene vero revisio intra quadrimestre a Moguntino petenda; quod tempus computatur a die late sententiae.

43. R. 2. *Judicium*, seu *Consilium Imperiale Aulicum*, seu *Aula Cæsarea*, in qua Praeses cum Assessoribus jus dicit in causis totius Imperii. Caput hujus supremi tribunalis est Imperator; cujus vices supplet aliquis Princeps, Comes, aut Baro Imperii ab Imperatore in Praesidem institutus. Hoc *Judicium*, licet causas a Camera Imperiali avocare nequeat; tamen cum ipsa Camera habeat concurrentem jurisdictionem: & insuper ampliore quo ad plures causas, quæ in Camera tractati nequeunt; ut causae feudales circa feuda-

galia, causae criminales Status, causae Italiae, concessio veniae ætatis, confirmatio privilegiorum &c. in causis Status primus ex equestri Ordine votum dicit: in causis vero justitiam maxime vindicativam concernentibus primum votum a Jureconsultis requiritur.

44. R. 3. *Judicium Rothwillense*, in quo Judex cum Assessoribus nomine Cæsaris jus dicit pro certis Germania Provinciis, ut pro Circulo Austriaco, Suevo, Franconico, & Rhenano. Ab hoc *Judicio* appellari potest ad *Cameram*, vel ad *Aulam Imperatoris*; imo *Consilium Aulicum* avocare potest causas pendentes in *Judicio Rothwillensi*.

45. *Judicium Westphalicum*, in quo occultis modis delinquentes inquirebantur, & inauditi condemnabantur; ob crudelitatem suam recte sublatum est; uti & *Regimentum Imperii*, quod fiebat in locum annuorum Comitiorum.

46. Q. III. An Status Imperii præter *Cameram*, & *Consilium Aulicum* habeant aliud forum, in quo conveniantur? R. habent forum privilegiorum *Austregarum* a Germanico, cum enim Status Imperii forum sit *Camera*, & *Consilium Aulicum*, a quibus, utpote supremis tribunalibus nulla datur appellatio, nimis durum eis videbatur; & ideo aequitate suadente, ut plures instantiae competere Status; & a Maximiliano I. introductæ sunt *Austregæ* legales, seu *Judicium* extraordinarium, in quo coram *Judicibus* electis Status in prima instantia conveniuntur, a qua provocare possent ad *Cameram*, vel *Consilium Aulicum*. 2. *Judices Austregarii*, cum a lege publica constituuntur, videntur esse ordinarii, modo tamen extraordinario constituti; vel ut alii volunt, sunt delegati ab ipso Jure: licet nonnulli eos tantum Arbitros esse contendunt. 3. Ad *Forum Austregarum* probabilis spectant illæ tantum causae, a quibus appellari potest ad *Judicium camerale*, non vero alia; ut criminales, matrimoniales. 4. Ex novem modis, qui insinuandi Austregis præscribuntur, duo sunt usitiores. *Primus*, ut reus denominet tres Principes, e quibus actor unum eligat, eorum quo causa judicetur. *Alter*, ut iraperetur Commissarius cæsareus, tanquam Judex primæ instantiæ. 5. Beneficium Austregarum gaudet Status Imperii, uti & Nobilitas immediata; non tamen civitates imperiales; nisi provise sint privilegio quo ad Austregas saltem conventionales, uti *Ratisbona*, *Norimberga* &c. Hæc obiter de Jure publico insinuasse sufficiat. Cui necessarium est, cetera videat in fontibus Juris publici, scilicet in *Bulla Aurea*, super qua *Diseurius* fecit *Dominic. Arumæus*, in *Instrumento Pacis Westphalicae*, quam eruditus observationibus Historico-Politicis illustravit *Godofrid. de Buckisch* S. R. I. Eques, & in variis *Recessibus Imperii*. Videantur etiam *Lymæus*, *Goldastus*, *Peckerus*, *Vitriarius*, & alii Publicistæ; & præsertim *Politici*, qui Status Imperii describunt: ex quibus tamen plerique A Catholicis causæ legendi sunt: maxime a junioribus, inter falsum, & verum discernere non valentibus; ne sinistris contra *Ecclesiam Romanam* relationibus, & doctrinis decipiantur.

INDEX

Materiarum notabilium in hoc Præcurfu explicatarum.

Numerus primus romanus indicat librum, secundus vulgaris titulum, tertius numerum marginalem tituli.

A

Actio: Tabula generalis actionum. V. 6. n. 1.
 Actio definitio, divisio. ibid. n. 18.
 Actiones reales civiles: Reivindicatio, Confessoria, Negatoria. n. 23.
 Reales Praetoriae: Publiciana, Receptoria, Pauliana, Serviana, Quasi-Serviana. n. 32. & seqq.
 Personales Praetoriae: de consuetu pecunia, in factum ex jurejurando &c. n. 63. & seqq.
 Prajudiciales. n. 71.
 Persecutoria rei, pæna &c. n. 75.
 Mixta in rem, & personam: hereditatis petitio, familiaris hereditatis, communi divid. finium reg. numer. 81.
 Actiones in simplum &c. n. 92.
 Bonæ fidei, & stricti juris. n. 99.
 Arbitrae. n. 104.
 Actiones metus, doli, de eo, quod certo loco, ad exhibendum, noxalis. n. 106. & seqq.
 In solidum, & non solidum. n. 118.
 Actio quod jasso, Exercitatoria, Infortioria, Tributaria, &c. in rem verso. IV. 7. n. 1. & seqq.
 Actio noxalis. IV. 8. n. 1.
 Actio de pauperie, Edilitia in factum, de passu. IV. 9. n. 1.
 Perpetua, temporalis, mansuetoria, non-transitoria. IV. 12. n. 1.
 Actiones in factum. IV. 12. n. 7.
 Adoptio, & Arrogatio. Ejus definitio, divisio, forma, persona. I. 11. n. 1. & seqq.
 Edificatio in solo proprio, vel alieno. II. 1. n. 44.
 Alienare qui possint. II. 8. n. 1.
 Alienatio in fraudem Creditorum. IV. 6. n. 40.
 Alluvio. II. 1. n. 38.
 Apprehensio vera, & ficta. II. 1. n. 66.
 Aurea Bulla. IV. tit. ult. n. 6.
 Austregæ. IV. tit. ult. n. 46.

B

Bello occupata. II. 1. n. 34.
 Bona derelicta, incerta. II. 1. n. 58.

C

Capitis diminutio. I. 15. n. 5.
 Causa liberalis circa statum. I. 7. n. 5. & circa dif-famationem. n. 9.
 Conditiones certi, & incerti, causa data, ob tempem causam, sine causa, ex lege, Trinitaria, damni infecti. IV. 12. n. 10. & seqq.
 Confusio rerum. II. 1. n. 42.
 Constitutio Principis. I. 2. n. 38.
 Curator. I. 23. n. 1. & seqq.

D

Digesta, seu Pandectæ. I. 1. n. 6.
 Divisio rerum in communes, publicas &c. II. 1. n. 1. & seqq.
 Dominium: Ejus natura, divisio, species, effectus, sub-jectum. II. 1. n. 14. & seqq.
 Varii modi acquirendi dominium per venationem &c. eod. n. 24. item per modos accessionis, uti sunt: foetura, alluvio, insula, specificatio &c. n. 36. & seqq. item dominium acquiritur traditione vera, vel ficta. n. 52. & seqq.
 Dominica potestas. I. 8. n. 2.
 Dotis pacta. I. 10. n. 8.

E

Edicta Praetorum. I. 2. n. 39.
 Electorum S. R. I. jura. IV. tit. ult. n. 33.
 Emancipatio liberorum. I. 13. n. 7.
 Familiae hereditariae *Judicium*. IV. 6. n. 37.
 Finium regundot. IV. 6. n. 21.
 Genilitia pacta. I. 2. n. 41.
 Gentium jus. I. 2. n. 22.

H

Habitatio quid sit. II. 5. n. 1. & 2.
 Hypothecaria actio. IV. 6. n. 49.

I

Ignorantia Juris, & facti. I. 2. n. 45.
 Imperium Romano-Germanicum: Ejus forma, & mon-stra. IV. tit. ult. n. 14.
 Imperatoris qualitates, electio, coronatio, jura. ibid. n. 18. & seqq.
 Imperii Vicarii. n. 28.
 Imperii Status, eorumque jura. n. 32.
 Imperii Comitibus, & *Judicia*. n. 40.
 Ingenuus quis sit? I. 4. n. 1.
 Ineredita definitiuntur, & dividuntur. IV. 15. n. 1. & n. 2. Prohibitoria. n. 4. Restitutio. n. 9. Exhi-bitoria. n. 10. Adipiscendæ. n. 15. Retinendæ. n. 19. Recuperandæ. n. 23.
 Inventio rerum. II. 1. n. 59.
 Jus aureorum annulor. I. 6. n. 4.
 Jus varia acceptio. I. 1. n. 1.
 Juris Civ. Romani volumina, partes authoritas, sy-nopsis. I. 1. n. 3. & seqq.
 Juris accepti pro sententia definitio, objecta, præcepta. ibid. n. 20.
 Juris naturalis existentia, definitio, divisio, præcepta, & proprietates. I. 2. n. 2. & seqq.
 Juris gentium existentia, divisio, differentia. ibid. num. 22.
 Juris Civilis natura, divisio, & variae species. ibid. n. 21. & seqq.
 Jura Statutaria. ibid. n. 41.
 Jus publicum, ejus natura, objectum, divisio, princi-pia. IV. tit. ult. n. 1. & seqq.
 Justitia: ejus definitio, objecta, partes, obligatio. I. 1. n. 29. & de jure possessivo. ibid. n. 39.

L

Lex Alia Sentia. I. 6. n. 2.
 Lex Fusia Caninia. I. 7. n. 1.
 Lex Scribonia. II. 3. n. 5.
 Libertas quid sit? I. 3. n. 3.
 Libertinus. I. 5. n. 1. & seqq.

M

Manumissionis natura, forma, & divisio. I. 5. n. 2. quis ex qua causa & quos manumittere possit? I. 6. n. 1. & seqq. Effectus manumissionis. I. 7. n. 2.
 Maris dominium. II. 1. n. 3. & 4.
 Minores qui sint? I. 23. n. 2. an alienare possint. II. 8. n. 4.
 Mistilia. II. 1. n. 54. in fin.